

LIBER DECIMVS-OCTAVVS  
PARALIPOMENON.

De Sapiente.

P R O O E M I V M.



*Quicumque dicuntur de mortalibus bona per comparationem dicuntur, quoniam immortalibus comparari nequeunt: neque est quicquam immensum prorsus, neque securum, aut purum, aut omnino equale. Sapientia autem est perfectio atque felicitas bona sunt: non ergo homo sapiens dici potest nisi ad ceteros homines comparatus, ut neque felix. Est autem felicitas à sapientia: igitur quicumque felix est, idem est sapiens, non tamen quilibet sapiens est felix. Sapientiae autem nomen communi modo intelligere oportet.*

C A P V T I.

*De sapientia subiectis.*

Sapientiae verbo intelligimus quaecumque notitiam certam, velut intellectum, qui est ingenta facultas, principia solo nomine cognoscendi proprio lumine. Scientia autem per demonstrationis aliquid genus, tum ex principiis, tum ex sensilium multiplici collatione. Eius est scientia practica, cum ex demonstratione in opus deuenit: ut Geometria, numerandi notitia, Musica, Tabellae supputandi, conficiendi organa, ratio: Geographiae & nauigandi peritiae, atque Agriculturae magna pars, cum reliquum ad artem pertineat. Medicina, catoptrica, De ponderibus. At quamquam ad opus deueniant, moralis Philosophia vtraque parte, & opere & contemplatione, ad prudentiam pertinet. Architecturae verò & bellandi pars vtraque ad artem, non scientiam practicam pertinet: Est enim ars recta ratio operum construendorum absque demonstratione. Differt opus ab actione, quoniam opus manet ut sanitas, effectio & actio transeunt ut citharae pulsatio. Et quamquam etiam aliae sint artes praecellae, velut pingendi & sculpendi, nullus tamen habitus ad felicitatem necessarius, praeter intellectum, scientiam & sapientiam: tum quia non sit aeternorum, tum quia per demonstrationem haberi non possit. Sed prudentia sub qua moralis Philosophia continetur, & lex ac consuetudo, plurimum ad felicitatem, & ideo ad sa-

pietiae nomen conducit: tum quia subiectum circa quod versatur, principium est felicitatis, tum quod ex hominum consensu atque vtilitate aliis imperat. Eadem ratione scientia quocumque quae certa est, seu coniectura bona, seu à docente habita, seu experientia longa cognita, modo sit eorum, quorum causa quaedam assignari possit; vel ex magiae naturalis, non verbosae genere, ad felicitatem pertinet: ut omnino sint genera quinque, scilicet scientia tam contemplatiua quam Practica, sapientia, intellectus & prudentia, notitiaque certa eorum quae aliter se habere non possint, quomodocumque habita. Harum duae vltimae imperfectae sunt & quasi ex dimidio. Rhetorica verò & eloquentia, quae est illius fructus & exercitatio, pars est tertia Philosophiae moralis, ut vna sit quae doceat ratione, & haec nomen suum generale retinuit: Secunda imperat & cogit, vocaturque lex. Tertia suadet & est eloquentia. Eadem ratione diuidemus habitus ad propositum nostrum conducentes. Grammatica autem cum nec sit de subiecto ut Rhetorica, nec de aeternis ut Magia dicta, neque demonstratione habeatur; quia tamen necessaria est illis quinque habitibus, & communis humano generi atque decora, sub prudentia collocabitur, pariter & Dialectica, & ob necessitatem doctrinae, & quia demonstratiua est sub primo genere, tametsi ex suppositione collocabitur.

## CAPVT II.

*Differentia inter Felicitatis & Sapientia partes.*

**P**Alam igitur est quinam habitus sint vtilis ad felicitatem, & qui non: & velut pecuniaz sapienti non sunt necessariae, sed discendi & vrenti sapientia; felix autem est sapientia vtens, ideo etiam pluribus indiget, velut etiam amicis, seruis, atque commodis. Et vt vnus est sapientior altero, ita etiam felix. Vt ergo felix sit & vt sapiens, vita etiam longa. Vnde felix est, cui concessum est vti opera secundum virtutem commodè in vita perfecta. At opera eiusmodi alia quidem sunt ad actiones, cuiusmodi est conficere citharam: hæc ad felicitatem vt dixi non spectant. Alia quorum opus est perfectio, velut sanitas à medico, & seruare nauim: alia sunt actiones velut fortitudinis. Cum igitur homo non tot sufficiat, sapiens erit & beatus, modò calcet quinque illas, etiam exclusis omnibus scientiis, quæ ad opus deduci possunt: habeat tamen cunctarum principia. Vt enim Immortalia pluribus non indigent, & actu sunt infinita, ita potestate nostra mens. Actiones verò quales citharistarum, quatenus nihil efficiunt opetis, ad prudentiam pertinent: quatenus originem ducunt ab arte, & certi sunt generis, pertinent ad scientiam practicam, non ad prudentiam.

Tantum igitur homo indiget sapientia & felicitate, quantum in moribus nihil desideratur ad rectam viuendi institutionem: in intellectu vt possit se coniungere cum immortalibus, ibique vtriusque initium est. Reliqua ex eo genere ad magnitudinem. Ex alio autem genere ad ornatum, velut citharista, medicus, pertinent. Perfectè igitur felix est etiam perfectè sapiens, sed pluribus indiget, vt operari possit & operetur. In ipsa enim actione & post, nisi quid eueniat aduersi, felix est, nec necessarium est vt laudetur, sed vt laudari mereatur. Quare perpetuò manet Gloria illa, & perfectio animi, & voluptas. Si quis autem partim secundum virtutem agat, partim non, vt Milo qui fortis erat, & vorax contra, pensanda sunt bona malis: neque enim desunt opera praua, turpia & foeda. Ita & per ætates vt Pompeius in iuuentute, & vltra felix, in senectute infelix, vt nomen felicitatis absolutæ plus proficit ad intelligendum, quàm ad conditionem hominum conueniat. Similiter si quis operibus suis felix sit, fortuna & casu aduersa grauiã patiatur, non erit hic felix neque infelix, sed vtriusque particeps. Pernecabilis exitus vt Taureæ Campani infelicem facere potest; at nisi talis sit, non potest sine culpa id efficere. Latior ergo semper via ad infelicitatem quàm ad felicitatem. Hæc om-

nia quanquam ardua sint, nihil tamen difficilius disputatione de temporibus, quemadmodum an Priamus ante bellum Græcorum fuerit felix? aut eo toto casu semper infelix? an antea neutrum dici potuit: post infelix? Repetamus ergo absolutæ felicitatis descriptionem: Et est continuata vsque ad mortem operatio secundum virtutem, nullo notabili impedimento intercepta. Manifestum est ergo eiusmodi hominem oportere omnibus diuinis muneribus esse ornatum, nec à natura nec fortuna destitutum. Namque is cum secum cogitat, quàm rectè viuat, quantam ab hominibus laudem mereatur: qualem in actione voluntatè cœperit, quàm procul sit aliorum status à suo, intelliget etiam se carum superis, atque ob id beatum. Hæc ipsa, ergo cum à Philosopho dignoscantur, dixissetque iam felicitatem esse virtutis præmium vt intelligeremus rem maximam esse: Siquidem inquit: *virtus laboriosa mortalibus, cum sint præcipuæ tres quæ nobis conferunt, & vtilis sunt: Temperantia, Prudentia, & fortitudo; huiusque tres partes: Patientia in aduersis, Securitas in periculis, & animus præferendi honesta morti.* Hæc etiam pars patum vtilis est, imo inutilis est & exitialis. Iustitia verò, liberalitas, gratia, magnificentia, aliis vtilis sunt non habenti, alia vero parum plerumque, vt comitas, mansuetudo: Ideo concludit questionem his verbis: *Quid igitur obstat eum felicem dicere, qui per virtutem perfectam operatur, & bonis externis satis abundat, non quouis tempore, sed in vita perfecta.* An addendum est, *Et ita est virtus, & secundum rationem moriturus: Quippe cum futurum quidem incertum sit nobis: felicitatem autem finem & omnino perfectam omni ex parte ponamus. Quod si ita sit, viuendum eos quibus ea quæ diximus & insunt, & inerunt, beatos dicemus: beatos autem homines.* Hæc ille: nec mireris coactum addere conditiones quasdam difficiles ac varias, vt qui nosset humanam conditionem eiusmodi esse, vt non posset in tanta mutatione & tam inconstanti statu, quicquam perpetuum aut statui aut elici. Quod si statueretur, falso proditum esset: si non statueretur nihil esset: nam doctrina quælibet imò etiam artes ipsæ & quantumcumque viles & abiectæ, circa quoddam vniuersale versantur. Necessè igitur fuit hæc adieciisse. Durum solum id esse videtur, quod nolit fortunam dominari, vt felix in equo Phalaridis miser sit, sed sufficiat illi non esse appellandum, nec esse felicem. At ego forsitan melius distinxero: si fortiter ferat, non debere dici miserum, sed si animo deijciatur, tunc non solum non esse felicem sed etiam esse miserum. De eo verò (velut Priamo) qui aded feliciter vixit sic miserè perituro, non potuisse dici felicem, antea sentire videtur: de Augusto autem (gratia exempli) potuisse, magna est quæstio & pene inexplicabilis: Et rursus de eo cui occisus est per iniuriam filius: non tamen ex hoc ad orbitatem peruenit, (nam hic infelix esset)

esset) non qui ut numquam prolem suscipit, altera quaestio est, atque ardua, cum meliore sine claudatur res. Sed videamus quæ de his antea dixerit prius: *cap. 8. eiusdem in fine. Videtur tamen & externis indigere bonis ut diximus. Fieri enim non potest, aut non facile sit, ut is res agat præclaras, cui facultates desunt: multa namque per amicos, per diuitias, per ciuilem potentiam tanquam per instrumenta aguntur: quibusdam autem carentes, ut nobilitate, bona prole, pulchritudine, beatitudinem maculant: non enim satis ad felicitatem idoneus est, qui penitus est deformis aut ignobilis, aut solitarius sine prole: & minas etiam fortasse, si cui perprauis sint filij, vel amici aut boni mortui sint: ut igitur diximus videtur felicitas & talis indigere prosperitatis. Unde quidam prosperitatem fortunæ, quidam virtutem felicitatem esse dicunt.*

CAPVT III.

*Determinatio questionum propositarum.*

**H**is igitur intellectis, oportet ut euadamus hæc subtiliter considerare: parua enim res magnum momentum asserre solet, ut in Enterocæle laborantibus, qui intestina repellunt non laxato vinculo, non proficiunt sed perpetuò vinculum corrumpunt, & in deterius affectio dilabitur. Oportet igitur vinculum prius amouere inde reponere, deinde rursus vincire, tam exiguo discrimine proficiunt, neglecto in deterius decidunt. Aristoteles bifariam ad hæc responderet. Primum quòd tum potest dici felix, quia ad hoc ut debeat dici felix, non requiritur ut sit felix perpetuò, sed in vita perfecta, id est excludendo mortem, quoniam omnino necessaria est cuique, & aufert omnia, ergo felicitas ad vitam perfectam est referenda, non ad mortem, neque ad exigua interualla. Secunda responsio est, quòd si volumus referre felicitatem etiam ad mortem, debemus dicere hic est felix, si eodem modo superfuturus est, & reliqua id est & secundum rationem obiturus. Et quia aliquis posset dicere, quæ felicitas est & quæ conditio est hæc adiecta, felix est si talia euenerint: responderet quod hæc est felicitatis hominis, quatenus homo est, & homo felix sic appellatur: non quatenus hæc conditio sit conditio felicitati conueniens, sed ut homini, quatenus homo deficit à natura quæ sit idonea suscipere felicitatem: Quod est dicere non esse susceptibilem perferre, felicitatis ob casus & mortem. Quod ad mortem, forsitan intendit quòd non impediatur felicitatem, cum sit sine dolore in ultimo senio, ut ipse ait: sed quoad casus est necessarium adijcere illam conditionem. Sed dicit, sic modo casus quam acerbi esse possint in homine sic instituto, secundum virtutum operationem poterunt prohibere, ne possit dici nec esse felix, sed non facere, ut sit omnino miser.

*Tom. X.*

Equidem vult bona hæc proficere ad felicitatem, cum dicat *In primo Ethicorum c. 8.* de illa loquens. Videtur tamen & externis indigere bonis ut diximus, Fieri enim non potest, aut non facile sit, ut is res agat præclaras cui facultates desunt: Multa namque per amicos, per diuitias, per ciuilem potentiam tanquam per instrumenta aguntur: Quibusdam autem carentes, ut nobilitate, bona prole, pulchritudine beatitudinem maculant. Non enim satis ad felicitatem idoneus est, qui penitus est deformis, aut ignobilis, aut solitarius sine prole: Et minus fortasse etiam si cui perprauis sint filij, vel amici, aut boni mortui sint: ut igitur diximus videtur felicitas & talis indigere prosperitatis. Dixerat enim prius: Felicitas ut bonum humanum, animæ est operatio per virtutem: Et si plures sint virtutes, peroptimam & perfectissimam: & insuper in vita perfecta. Ver enim nec vna hirundo facit, nec vna dies: Et beatum eodem modo felicemve: nec vnus dies nec breue efficit tempus. Summum igitur bonum hoc circumscriptum sit modo. *Et infra: cap. 9.* Dicitur est quòd felicitas est operatio animæ secundum virtutem: Cæterorum autem bonorum alia inesse necessarium est, alia adiuant, suntque vilia ut instrumenta. At in *Decimo libro cap. 7.* quandam ponit differentiam dicens: Nam & Sapiens & iustus cæteris indigent, quæ necessaria sunt ad vitam. Sed si satis his talia adsunt, iustus quidem eorum indiget, ad quos & cum quibus iuste egerit, & temperans ac fortis & singuli cæterorum. At sapiens etiam si solus contemplari potest, & quòd sapientior, eò magis potest. Melius autem fortasse si habeat adiutores. At tamen sufficientissimus est ipse. Non multò post etiam multa de hoc & quasi Paralipomena scripsit in hunc modum: Quovique igitur contemplatio sese extendit eoque sese extendit & felicitas ipsa, & quibus contemplatio magis inest, iis & felicitas magis inest, non per accidens quidem sed per seipsam, utique contemplationem: hæc enim per seipsam est pretiosa. Quare felicitas contemplatio fuerit quædam. Est autem opus huic & prosperitate externa cum sit homo. Natura namque ipsa non est ad contemplandum sufficiens, sed & corpus sanum esse oportet, & alimentum reliquumque famulatum adesse. Non tamen putandum est multis ac magnis ei opus fore, qui factus est felix, si fieri non potest ut sit beatus sine bonis externis. Neque enim sufficientia, neque iudicium, neque actus in exuperatione consistit: sed fieri potest ut & non Principes terræ ac maris agant honesto. Etenim à mediocribus facultatibus potest quispiam agere per virtutem. Atque id clarè cernere licet: priuati namque non minus agere videntur res bonas, quam qui sunt in potestatibus constituti: imò etiam magis. Satis autem est tot facultatis habere, erit enim eius vita felix qui per ipsam operatur virtutem. Solon

lon etiam bene fortasse de felicibus sensit, qui quidem eos esse felices dixit, qui mediocriter res habuerunt externas, & pulcherrimas res (vt putabat) agere, modestèque vixere. Fieri enim potest vt mediocritia possidentes agant ea, quæ agere oportet. Videtur autem & Anaxagoras, non locupletem neque potentem felicem ipsum existimasse: cum dixit se non mirari, si quis absurdus multitudini videatur, hæc enim sentiens res solum externas his iudicare tantummodo solet. Consentaneæ igitur nostris sententiis, & sapientum opiniones esse videntur: at enim habent quidem & talia quandam fidem. Veritas tamen in iis quæ in actionem veniunt ex operibus iudicatur, & vita. In his enim præcipuè certitudo veritatis consistit. Considerare enim oportet ea quæ antea dicta sunt, ad opera referentes & vitam. Et si consona sunt operibus, accipienda sunt, sin verò discrepant, verba sunt tantum putanda. At verò quæ mente operatur, & eam colit, disponitur optimè is, & amicissimus diis immortalibus esse videtur. Ergo dicemus quòd si homo felix toto vitæ tempore, in morte felix dici non potest, quia mors est vltimum terribilium: multò minus homo ante mortem, asperam subiturus, non potest ante audiri infelix.

Sed melius forsan est dicere, quòd homo sapiens cum sit potentia & voluntate operandi felix, vel non exigitur aliquid aliud opus, & ita est perpetuò felix: vel requiritur actio ipsa perfecta, & in tempore perfecta, & palam est quòd hoc est in potestate fortunæ. Igitur cum in nobis positum sit, vt possimus, ad felicitatem apti simus: vt simus in fortuna, fortunam non partem habere felicitatis dicendum est, sed causam esse, sine qua non appellandam censuerimus. In primo laus est & gloria, in hoc ipso voluptas atque iucunditas. Quid ergo est quòd quisquam velit miscere fortuitum cum necessario: quod externum est, cum eo quòd proprium est? Deinde velit quærere quomodo sit appellandum? Forsan hoc respexit Philosophus nomen sempiternum? Fabula: Iucunditatem ipsam quandamque satisfactionem hominis ad hoc spectantis, tum filiorum atque suorum: non negauerim. Sed si rem ipsam quærimus, opus est fortuna, vt ingenuè fatear. Primum vt virtutum sit capax, placeant, possit exercere: & ad hoc occasiones non desint. Secundum vt ad potentiam perueniat. Tamberlanus ex bubulco cum euaserit in maximum regem, manifestum est non desiderari nobilitatem generis: neque onerandam vt necessariis conditionem, quæ necessaria non sint. Tertium vt ad summam senectam perueniat: aut forsan breuius vt morte naturali moriatur. Quartum vt nullam insignem perpetiatur calamitatem, à qua non se explicet prorsus: aut ferme in tuto sit, aliter quis esse potest? Sed & vt illi sint filij aut fratres aut sorores aut eorum filij, ac boni, & in spem successionis

perpetuæ educati. Sed & bona hæc eo tempore adueniant quibus vt commodè possit & gaudere. Durum enim est, cum occasionem habemus non posse vt: aut vbi cœperis gaudere tunc munere destitui, sed pulchrum est commutare, velut ex oratore in senio euadere Senatorem. Demum delectari ac gaudere ipsa vita.

## CAPVT IV.

*Questio derelicta.*

EX his liquet planè in huiusmodi conditionibus non necesse fore, vt aliquid magnum contineatur præter virtutem & illius amorem exercendi: an eximium inferius explicabitur. Nec quemque ex his prohiberi, quin ei dici possit *adde biosas*. At non illud est ad eò perspicuum, si nobis concessum in mediocri fortuna beatè viuere: quidnam interest inter stultum qui hæc imaginatur, & felicem qui per sapientiam hæc omnia adeptus est? Aliud senectus maxima pars est vitæ nostræ, eademque longissima, in ea non videtur homo posse esse felix: si non attigerit, non potest dici felix, cum felicitas exigat vitam perfectam. At dum senex es, miserimum est in horas mortem expectare: est enim mors terribilium vltimum. De Senis statu verè potest illud pronuciari.

*Quis scit an adijciant hodierna crastina  
Summa,  
Tempora diu superi?*

Igitur ad hæc intendentibus dicendum est, cum triplex possit esse modus, quo homo sibi comparare potest, vt sibi felix esse videatur: Primus vt sibi & aliis talis esse videatur: secundum vt sibi soli, sed ad alios minimè, vt qui in paucis excellat, atque his quæ minus sunt in existimatione hominum, vnde dictum est *adde biosas*: Tertius vt sibi absque necessariis hoc persuadeat? Ergo vera felicitas constare potest, & melius atque facilius & frequentius, in mediocri quàm splendida fortuna. Hoc primum concessit Philosophus, & ex sententia Solonis & Anaxagoræ, & rationem perspicuam habet: in splendida enim fortuna vix datur ocium, aut vt homo compos sit sui: at beatus homo est in tranquillitate, quæ in contemplatiua vita est perfecta: in actiua etiam per interualla, & mediocris conceditur: at in perturbatione tot amici, clientes, domestici, quæ quies, quæ mora, quod viuendi spatium, quod à fortunæ beneficio oblectamentum. Igitur vera felicitas est quam nunc proposuimus. Questio verò succedens difficilior est, & ab omnibus ferme derelicta. Ex principiis tamen Aristotelis dissolui, tum maxime quod ad præfens attinet, potest: namque in libello de virtutibus: *Sculissia* (inquit) est *morbus*

*morbus rationis, ac vitium infelicis vite causa. Eius proprium est malè de rebus Indicare atque consulere, prauè præsentibus illis congedi, ac consiliari, nec non de eisdem qua in vita bona aut mala versantur sentire. Comites cuius sunt inscitia, obliuio, impotentia, ineptitudoque Si igitur ita est & ut nunc agimus de felicitate, qua est perfectum bonum, & per se sufficiens. Dixit Eth. c. 7. non sibi soli qui vitam solitariam agit, sed & parentibus, natis, uxori, amicis, ac ciuibus.* At ergo stultum impossibile est eiusmodi erga illos esse, quare stultus hoc modo felix esse non potest, sed magnæ calamitatis suæ causa erit. Patet ergo fouea quædam in medio horum sermonum. Et est de commentitio bono, in contemplatiua vita, & voluntario, absque rebus agendis, maximè ab his quæ contemplatur, non profus abhorreat. Atque hæc esse potest magna felicitas & vitæ utilis sed non vera. Vera enim est, vt quæ imaginatur talia etiam sint, & ad alios homines comparata talia videantur. Et ad negocia etiam accommodata. Multò verò minus perfecta & cumnlata, in qua quæ à Philosopho proposita sunt inueniantur, & in vitroquè, quam rarè inueniri haud dubium est. Hæc præcipuè habetur in prima senectute, & parum ante, & durat vsque ad mortem: nam non minus iuuenis est obnoxius mortis quàm senex bene & rectè viuens, cuius anima est quasi annexa propria sedi: Et principia rectè constituta ostendit: vt dens firmiter affixus mandibulæ, non mancus aliqua parte, nec dolitans. Ita securus tam debet viuere senex qui etiam non aded se periculis exponit, vt iuuenis, meliusque expertus est quæ conducatur quæ nocitura sint, quàm iuuenis. Sunt & alia à nobis alibi explicata. Ergo felicitas est in operatione secundum virtutem, in vita perfecta & cognitione conditionis suæ, nullo destituta valde necessario nec interrupto. Ea cognitio cum præsupponatur est ab Aristotele derelicta. Porro stulti felicitas tandem se detegit, & prauum habet finem saltem in suis.

CAPVT V.

*An contemplatiua felicitas perfecta esse possit? Et an præter opinionem aliquid ferat commodi?*

Contemplatiua igitur felicitas cum multifariam actiua præferatur, tum maximè tamen in hisce sex: Primùm ratione eorum quæ contemplatur diuina immortalia, actiua autem mortalia atque caduca. Præterea ratione subiecti: quod enim contemplatur diuinum est quippiam in nobis, cætera ratio, memoria, *phantasia* (quæ hucusque nomen latinum non inuenit) mortalis & corporeæ virtutis partes sunt quædam. Perficitur etiam absque labore: quo fit vt cum voluptate sit, & non

Tom. X.

delasset hominem, & perpetuò possit continuari, & neque aliis præternecessariis ad victum indigeret: actiua amicit famulatu, opibus, potentia, Proxenetis, Principum fauore. Ipsa præterea iungit finem quæsito: neque enim post contemplatum aliud quicquã desiderat, cum actiua dirigatur in opus: quærimus magistratum vt exerceamus, aliter magistratus nihil est: potentiam vt possimus prodesse amicis ac clientibus: secus frustra hæc. Demum nos Deo coniungit. Verùm cum opus sit vt dictum est, in contemplatiua rerum scientia quæritur quænam sit vtilissima disciplinarum? Concludit Aristoteles 10. *Ethicorum cap. 7. in Principio* quod Philosophiæ contemplatio purissima est & firmissima, idest quia rebus ipsis adhæret, nec mutare cogitur res à suo statu vt Mathematica: nec rationibus absque fundamento inniti, vt Dialectica: Adde quòd omnia complectitur, nam per Philosophiam triplicem illam intelligit: naturalem, Moralem, Diuinam. Est autem firmissima, quoniam est de vniuersalibus & solidis quæ perpetua sunt, ided earum notitia adhæret subiecto sempiterno, & ided etiam talis notitia est firmior, quia est scientia: actiua autem constat in quærendo, quoniam fit per prudentiam, cuius instrumentum est consultatio. Præter opinionem etiam contemplatio affert vitæ longitudinem, ex voluptate, & somno quæ solet adducere: Adijcit etiam quòd Dij opitulantur his sapientibus. Præbet etiam stabilitatem in deliberationibus atque consiliis humanis: quod non parum conducit ad res humanas peragendas & gratiam.

Sed iuxta hoc quæritur (& est grauissimum dubium) Quid est quod homo possit in hac vita scire de rebus incorporeis per Philosophiam, & naturaliter: cum solum pertingere possit ad quædam vmbra talium entium, vt etiam visum est in Memoriali, vbi exposui somnium illud, r quo perueneram ad Cælum Lunæ, & tunc impegeram in illud: Ergo dicebat F. Beatus in expositione Proœmij secundi Physicorum: *Intellectus noster non potest intelligere incorporea, quia ab eis non potest formam recipere seu formari, sed tantum per ea quorum noster est capax velut communia, vt quòd sint entia & vera, substantia actus: vel negando, vt quòd sint immateriales, incorporei, immortales, insensiles, immobiles: aut per comparationem, vt quòd sint causa triplici modo secundum fortunam, finem, & efficientem.*

Denique ergo superest vt videamus, an aliquid proprium de illis magis scire contingat, speroque id fieri posse, vt quemadmodum imperfecta scire perfectè contingit, ita perfecta imperfectè, veluti quòd immensus & totus in seipso, nec non similitudine quadam, velut si scientiæ comparauerimus, quæ nec quantitatem habet, nec indiuidua est vt punctum, & tamen habet partes. Alia enim de triangulo, alia de quadrangulo: at scientia qualitas est, & forsitan finem habet. Neque enim quicquam

prohibet ne finitorum scientia finem etiam perfecta habeat, quandoquidem sub finito infinita comprehendantur. Cum ergo ita sit, nisi genera sint infinita, scientia poterit esse perfecta: Deus autem est substantia & immensus, & ob id à præclaris ingeniis, quorum experientiam mathematica inuenta iam declararat, fieri potest, ut aliquid melius cognoscatur: eam in Philosophia hoc experimentum sumi non potest, cum res naturales non facile ratione demonstrari possint, experientia non nisi fortuitò. Sed hæc sic dicta sint.

Vt verò colligam quæ in dubium versabantur, dicemus quod aliud est felicitas, aliud felicem esse: hoc enim non solet nisi de felicissimo dici. At felicitas ut candor in pariete. Est enim exactissimus in toto, & tunc dicitur felix ille: aut in parte tantum, ut qui maximè calamitatibus & gloriosis euentibus occurrerunt, hi felices & miseri appellantur: pares ferme his qui in mediocri fortuna, vel etiam humili, nihil magnum aduersi pertulere, ut tonsor, musicus, qui ex labore proprio vitam satis angustam ducit. In omnibus tamen exigitur vita perfecta. Magister quoque ludi literarij, qui philosophatur, pari conditione viuit, & medius est inter illos. Similiter Architectus, qui Mathematicam caller: hic nobilior est tonsore, & beator Pædagogus: neque enim dicit Aristoteles Philosophiæ studium solum ad felicitatem facere, sed maximè si par sit cognitio. Ergo Mathematico excellenti nullus in contemplatiua parte felicior esse potest, quod nemo tantum in Philosophia excellere potest, nec certus ad eum esse de his quæ nouit ut ille. Et bifariam hic felix est per actiuam & contemplatiuam partem, ille per contemplatiuam solam, quam etiam eouique facilius consequi potest, quam alter mathematicas ad tam exactam perfectionem. Et maximè quod Mathematicæ quibusdam, velut asinis Grammatica, sunt profus denegata. Philosophia non ita. Credo quod rebus ipsis constet, nec cuiquam negatum sit (qui læsus non sit) propriæ naturæ munus. At forsitan Philosophus qui illam non has callebat, Philosophiæ plus iusto fauit. Hæc igitur dicta sint, reliquum est ut de seruanda felicitate, ubi difficilius est loquamur: nam exemplo reliquis qui sapientia frui desiderant, absque incommodo proprio & aliorum contemptu consulemus. Id solum adijciamus, in mista vita iuxta temperantiam debere pronunciari iuxta magnitudinem, diuturnitatem, genus, numerum, ætatem, occasiones, finem: & quod mala plus lædant, quam bona profint: iuxta locos & consuetudines: & tandem iuxta vniuersiisque (licet forsitan non multorum etiam) naturam propriam.

## CAPVT VI.

*De causis incommodorum, & contemptus senis.*

Quæ odium & contemptum in senes patiunt, vnde incommoda (homo enim solitarius nisi Deus quidam bestia est) & eò magis ætari illi sunt: hæc sunt, quod amicitiam constamus, & eam colimus; vel naturâ, & est similitudo morum, vel sine ut honesto aut utili aut iucundo. His omnibus caret senectus. Nam quod ad naturam attinet, valde dissimilis est senex adulescenti: quomodo ergo conuenient, nisi eam amicitiam carè emat: utpote sine proposito. Senex nullum habet finem, quo melius iuuenes se gloriari possit, præterquam honesto. At quanta in hoc desiderantur. Primum ut naturâ adulescentes honesti sint amatores. Id rarum, & maximè cum ad voluptates tota illa ætas prona sit, ut etiam Philosophus ubi auditores querit, honesta suadens abdicet illos. Difficilius etiam longè est, quod tamen exigitur eos esse à pueritia bene institutos. Rarius ut his accedant duo alia scilicet, ut nullo impetu ætatis laborent, & ut comoda vitæ non desint. Requiritur & tria alia non minus, ut illi in quorum potestate sint hoc velint & cupiant: utque præceptor talis sit; ut & suadere ratione sufficiat, vitæ exemplo velit: & ut laborem hunc ferre. Denum ut talis sit hic iuuenis, ut possit conatibus æqualium qui plures erunt sanè resistere. Iam ergo hoc initium ut nimis datum desiramus. Erant antiquo tempore; & nunc apud Turcas commodum maius à seruis, qui metu dominis etiam senibus studiosè seruiunt, & iucundi exhibent se se; tantum tamen multa apud comicos ridicula seruorum, senes dominos in gratiam filiorum emungentium. At redeo ad propositum, restat voluptas & utile. Quod ad voluptatem pertinet, notissimum est illud Cæcilij.

*Tum etiam in senecta hoc reputo miserimum:*

*Sentire ea atque esse odiosum se alteri.*

Aristoteles *Secundo Rhetoricorum* naturam & mores senum describens, nec non causas dicit illos esse dubios de rebus, & dubiè respondere: res minimi æstimare suspiciosos, incredulos, malitiosos; & idè pleraque in malam partem interpretantes, neminem amant, pusillanimes, de vitæ ductu deiecti, timidi, auari: accusant etiam facilius quam debeant, & honesta vilibus posthabent: inuerecundi, mala spei, loquaces, & præteritorum memoria delectantur: cupidi & voluptate afficiuntur, sed modicè in utroque: ad iniuriam inferendam prompti ut afficiant,

non

non autem ad contemptum ; queruli sunt, non faceti, cum hæc & alia patiantur, velut quod tristes, ignaui, irascibiles, quomodo eorum consuetudine iuuenes delectabuntur, cur non oderint contemnente. Itaque Horatius sic eos depingit:

*Multa senem circumueniunt incommoda:  
vel quod*

*Quærit, & inueniens miser abstinet, ac timet vii:*

*Vel quòd res omneis timeat, gelidæque ministrat.*

*Dilator, spe longus, iners: auidisque futururi.*

*Difficilis, querulus, laudator temporis alicui,*

*Se puero censor, castigatorque minorum.*

Igitur cum suspici & alios ei parere contingat, ex amore aut veneratione, vel timore aut verecundia, contemptus venerationem & timorem tollit, odium amorem & verecundiam. Qui ergo adolescentes iam natura sunt eiusmodi, vt insolentes, inuerecundi, ambitiosi & superbi, maligni, inuidi, iracundi, ingrati, malè educati, hõs ne tentauerit senex, minus sperans quàm ab asino: hi enim multa mala inferent, hic nihil & etiam in quibusdam vtilis erit. Cæteros qui insigni vitio vacant, maximè è genere iracundiæ, aut ambitionis vel malignitatis, (tria enim hæc cum suis affectibus vt inuidia, importunitate, inconstantia, dolo, perfidia, ingratitude, omnino Seni fugienda sunt) vix domueris, aut conciliaueris: neque etiam alia ipsa, nam si succumbas contemnent & iridebunt: si vincas oderunt vt auarum, maximè cum adolescentes rarè pecunias fultis sint. Eodem modo nec donis illicitis: quantum enim plura dabis, eò desiderium magis augebis, beneficij obliuiscetur. Voluptate igitur aut vtilitate non proficis quicquam. Restant duo præsidia, metus & mutatio: Metu coercere domesticos valde arduum est, quinimo aduersus etiam Monarchas dum conspirant in vnum plures, & dolo superant tandem. Quid profuit sæuitia Domitiano aut Neroni, vel Commodo aut Aureliano, etiam strenuissimo Imperatori. Vel ergo ad summum si modo gaudeas iuuenum vsum, opus habes bona fortuna & moribus, vt tu ipse exemplo præsis ac continua sollicitudine illum instruas, aut in periculo versaris, ne vnus omnes alios & Senes, & pueros, & fœminas, atque coniunctos tibi euertat. Est enim ea ætas insolens, & consilio caret, viribusque pollet, ad fortitudinem parum apta, ad audaciam nimis, vt nihil peius esse possit, etiam si alioquin sit natura bonus, & moribus mediocriter institutus. Optimum igitur Seni consilium est, non solum non habere tales in domo, nisi sint filij aut nepotes in domo, modesti & alicui exercitatiõni addicti (Minus enim

effrenitant,) sed illorum occursum nedum congressibus carere: habere autem aliquem à pueritia in domo tua bene educatum & bonæ indolis, quem erudias in liberalibus studiis, aut arte quadam nobiliore, velut pictura, agricultura, fabrili, musicorum instrumentorum; aut rara, vt simia, bonum fortasse erit, vbi intelligat quàm egregius possit præceptis tuis eadere. Obseruare tum oportet, vt si quem habeas domesticorum, aut malignum, aut mali exempli, statim è domo amandes: & multatum pro meritis, aut saltem cum opprobrio & turpi reprehensione. Sed & in certamen cum aliis adducas. Vt enim ferrum igne ducitur in quamcunque volucris formam, ita animus adolescentis certando, vbi incanduerit, victoriæ studio. Demum vt assiduis studiis tempus adimas ad praua cogitandum, & laboribus etiam feruorem illum iuuentæ retundas. Vnde licet venatori Seni habere adolescentem: nam laboribus habebit ferociam pacatam assuetudine, non refugientem exercitatiõnis molestiam, & ob voluptatem in obsequio retinebis. Sed & duci militum conducit, ministros iuuenes habere, qui labores subire possint, periculis se obijcere: ijdem erunt etiam decrepito obsequentes, communi salutis aut mortis, vel gloriæ & opum sorte; & timore ob potentiam, & venerabuntur tot aliorum exemplo, velut in Sacerdotiis. His ergo senibus poterunt esse senes domini iucundi.

Cæteris autem omnino tutius & explicatius atque liberius erit his carere: habere autem Oeconomum qui XL. annum excedat, LX non attingat, vt vires cum mente conueniant. Cum simili familia: si qui sunt iuniores, eos deferendis oneribus mancipato. In summa, cum difficile sit Seni admodum inter familiares amicum habere, quærat sui cultores ac veneratores in mediocri familia pater vnus, in magna duo sufficiunt: timor in veneratione continetur, verecundiam de omnibus iniicere expedit. Vt ergo non solum tui sed & alieni, & parum bene morigerati senem venerentur, expectatione pœnarum & munerum consequeris. Sed pœnas per alios, præmia à te ipso accipient, si magna: si parua ab œconomo. Antiquo tempore opera locariorum venalis & paruo erat; composita est actio: Oeconomus ne verbum hiscat, coram aliis non sedeat: statim præcepta exequatur, nec ille vlli familiaris. Dominus cubicularium tantum alloquatur, atque cum paucis libertas quædam soli puero domestico, (& tamen vapulet sæpe etiam, sed parum) relinquatur. Bonus tamen habeatur: & misericors etiam in illos, quem domestici contempserit: loqui vel aperte, vel in aurem coram domino placulum sit. Verberare, minari, rixari, clamare, astante domino. Nutu non verbo; si quis non rectè tibi inferniat, abigas, nunquam tuis astantibus rideas: alienis etiam cum illis parum.

parum, modeste semper, ne iures, ne excreceris, ne de iniuria vel casu conqueraris. Si contemptum effugeris felix esto. Bonum coniunctum prudentem & fortem secum habere, multum utile est, amandatum quomodo vis absque precibus amicorum ne recipias: iuste nullo modo nec exorandi aniam præbeas, si exorent & illis vale dicito: nam evertunt.

Multa alia dici possent, sed hæc portiora, & proposito patefaciunt viam. Vnum restat, postquam hæc existimatione hominum constant, illorum more agenda esse. Sic & in aliis. Nempe vt Ludouicus vndecimus Gallorum Rex graui ac longo morbo laboraret, hoc consilio ductus quædam crudelitatis exempla, aliaque non pauciora enormis liberalitatis edidit, vt audaces à contemptu deterreret, alios ad spem & obseruationem spe beneficiorum erigeret: satis præuidens quod nos sapius restati sumus, hominum animos (non secus ac mista aqua vel igni mollescere) metu vel spe desistere à malis, aut etiam ad bona consilia verti, quod & obtinuit: nemo enim quoad vixit contra illum, aut quicquam molitus est, aut eum deseruit. Ergo Senex qui mediocriter diues est, poterit hoc beneficio uti, nec durum videri debet minora pati voluntariè, vt nolentes maiora non subeamus mala. Quod si paupertas obstat, velut & ægri eiusmodi facere solent, ad communia recurrendum est mala: quidam potentiores substituunt hæredes & bonos à quibus defenduntur, cessitque id multis bene, præsertim si vita ei lucro sit, vt augeant non minuant: aut Senes itidem sint primi hæredes: quorum hæreditas communis ad iuuenes bonæ indolis deuoluatur. Id verò maximè cum liberè actum est cum his qui parui æstimant similes diuitias, aut cautè cum his qui mediocriter. Difficillimum forsan cum suis & hæredibus necessariis ac stultis. Sed hoc rarum & à fortuna mala.

## CAPVT VII.

### *De Sapientia multiplici & speciebus eius.*

**H**actenus de felicitate vtraque, vt intelligamus eam esse operis secundum virtutem voluptatem, iuxta modum naturæ suæ, vt pote ciuilibis, cum emanat ad ciues: contemplationis autem, cum à Deo eousque fouetur, vt beneficium percipiat. Tum verò successibus quibuscumque impediri non potest, ne aliquando non fuerit felix, sed permanente successu vsque in finem summum beatitatis adeptus est. Est ergo felicitas in vsu, in memoria etiam in rationali spe: sapientia autem multiplex. Est quidem à lumine intellectus: alia à disciplina per demonstrationem, alia per no-

titiam multarum rerum, alia quasi diuinitus inducta, alia quasi composita ex arte atque iudicio, alia per solertiam, per quam coniectamur, & non est perfecta, nisi postquam facta fuerit necessaria. Et felices quidem natura, etiam ad hoc parati videntur, tanquam habentes in se principium ad illud, & auxilium ex præcedentibus. Et quoniam prudentia & patientia vtrique communis est, & patientia videtur esse aliquid melius, vtpote ex prudentia & fortitudine mista. Ergo felices maximè vel ad felicitatem parati, aut soli sapientes, prudentes atque patientes. Verum non vno modo vt neque sapientes, nam hi trium generum; vel vt Philosophi, vel vt Duces exercituum, aut vt Architecti. Et Musici ergo gaudent sola actione, & Duces exercituum victoria, & his quæ ad illam etiam faciunt, velut & medici: hæc enim trium quasi sunt generum, ideo alia finem habent, alia in opere ipso magis vt musica, quàm militaris vel medicina. Architectura est quasi scientia practica, & hæc maximè in opere delectantur, velut & quæ de plantarum, animalium, & lapidum ac metallorum viribus, ipso opere ac scientia gaudet. Philosophus autem ipsa contemplatione, Musicus opere ipso & actione, Architectus opere tantum seu sine: Magus seu qui proprietates rerum nouit, opere atque scientia delectatur: Rhetor autem & prudens administratione, atque scientia. Omnis enim disciplina scientia propria delectat, vt medicus & Rhetor. Est autem Prudentia alia quidem communis atque nobilior, vt quæ Rethorum, Iurisconsultorum, atque ciuilibis tractationis: alia magis necessaria, sed non ad eò præstans, vt quæ circa singula negocia versatur etiam minima. Et si qua vnus careat, multis versatur incommotis. Præter illa quatuor plurimum iuuat versari, vbi optimis legibus viuatur, vt Hippodamus inquit. Et corporis firmitas atque opes, & filij, & vxor bene constituta: vt sint in vniuersum nouem. Verum post illa prima quinque (homo enim est vt in cauea auis; neque enim iucundè viuere potest & suis bonis, quantumcumque generosa & per se felix, nisi cauea commoda sit) multa industria parantur si desint: alia in melius & ad occasiones necessarias mutantur, non paucis non indigemus, quinimo contemere licet scientibus nobis vt alibi dictum est, humanam conditionem persimilem esse Cænobiorum situlis, quarum semper altitudo ab imo putei (si ambæ metiantur) vna eademque est.

\* \* \*

CAPVT VIII.

*Felicitatem non comparatione metiendam.*

**O** B id stultum prorsus fuerit nostram felicitatem alienæ comparare, cum vt dixi ad idem redeant: vel quòd vno in statu consistere nullo modo queant. Somno semel admonitus hæc audiui verba : Si comparatione felix esse velis fieri non potest vlllo modo, metiri enim velle Dei felicitatem aut incorporcorum vllius, stultum est. Sed omittamus quod in Italia, Gallia, & cæteris regionibus, cæteri præclaris sunt præpositi negociis, quorum non potes consequi felicitatem, cum sit alterius generis. Visne felicitatis esse particeps iuuenis, cuius ne Reges senes esse possant Itaque vt vel illorum consequaris felicitatem quæ tibi deest, fieri non potest, neque maiorem ob tot causas. Nemo ergo hoc modo felix erit: hæc per somnum. Experrectus autem cæpi cogitare mecum, rectèque me admonitum animaduerti: nam si etiam felicissimus sit homo, & ad senectutem perueniat, quo-

modo vel pristinam felicitatem sperare poterit, aut esse felix, si ad comparationem prioris referatur: vel antea talis esse, nisi ante senectutem moriatur. Porro plerumque homo anno LX senescere manifestè incipit, si XL annorum sit, intra XX annos infelicitatem expectare oportet. Sed quis securus vt eò perueniat? Ergo & alia cura etiam non minor, vt moriamur ante. At mors maximum omnium terribilium inquit Aristoteles: nemo ergo nisi simpliciter felix aut esse potest, aut multo minus dici, comparando mala quæ patimur bonis. Ideo etiam gaudent homines conditione oblati. At sunt qui ætatis infelicitatem filiorum bona fortuna atque præstantia metiri velint, quod idè posses imaginari de Hetruriæ Principe. At ille dicis non est metus? sed quis hos tuos esse affirmet? Et si forent, vnus est exitus, & quodcumque fuerit idem refert, finis enim & felicitatis, & tuorum, & nominis, & spei. Quapropter si cogitatione definienda est felicitas, & ad comparationem, refert poterit stultis imaginibus non tamen ad somnum inutilibus: atque ad Orochiliam recurrendum: nec vitupero consilium in insania sapiendi. Hic vltimus humanæ conditionis status.

